OXFORD CAMBRIDGE AND RSA EXAMINATIONS

AS GCE

F362/01

CLASSICS: LATIN

Latin Verse and Prose Literature

SOURCE BOOKLET

TUESDAY 24 MAY 2016: Afternoon

MODIFIED ENLARGED 24pt

VI_7146461965/FP

7146461965

SECTION A – Prescribed Prose Literature

Source for Question 1 (a)-(c)

nunc vero cum sit unus Cn. Pompeus,
qui non modo eorum hominum, qui nunc
sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis
memoriam virtute superarit, quae res est
quae cuiusquam animum in hac causa 5
dubium facere possit? ego enim sic
existimo, in summo imperatore quattuor
has res inesse oportere: scientiam
rei militaris, virtutem, auctoritatem,
felicitatem. quis igitur hoc homine 10
scientior umquam aut fuit aut esse
debuit? qui e ludo atque pueritiae
disciplinis, bello maximo atque acerrimis
hostibus, ad patris exercitum atque in
militiae disciplinam profectus est; qui 15
extrema pueritia miles in exercitu fuit
summi imperatoris, ineunte adulescentia
maximi ipse exercitus imperator; qui
saepius cum hoste conflixit quam
quisquam cum inimico concertavit, 20
plura bella gessit quam ceteri legerunt,
plures provincias confecit quam alii

concupiverunt; cuius adulescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis sed suis imperiis, non offensionibus belli sed victoriis, non stipendiis sed triumphis est erudita.

Cicero, ‘De Imperio’, 27–28

Source for Question 1 (d)-(g)

unde illam tantam celeritatem et tam
incredibilem cursum inventum putatis?
non enim illum eximia vis remigum
aut ars inaudita quaedam gubernandi
aut venti aliqui novi tam celeriter in 5
ultimas terras pertulerunt, sed eae
res, quae ceteros remorari solent, non
retardarunt: non avaritia ab instituto
cursu ad praedam aliquam devocavit,
non libido ad voluptatem, non amoenitas 10
ad delectationem, non nobilitas urbis
ad cognitionem, non denique labor ipse
ad quietem; postremo signa et tabulas
ceteraque ornamenta Graecorum
oppidorum, quae ceteri tollenda esse 15
arbitrantur, ea sibi ille ne visenda
quidem existimavit. itaque omnes nunc
in iis locis Cn. Pompeium sicut aliquem
non ex hac urbe missum, sed de caelo
delapsum intuentur; nunc denique 20
incipiunt credere, fuisse homines
Romanos hac quondam continentia,

quod iam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur.

Cicero, ‘De Imperio’, 40–41

SECTION B – Prescribed Verse Literature

Source for Question 2 (a)-(c)

cognita res meritam vati per Achaidas urbes
attulerat famam, nomenque erat auguris ingens.
spernit Echionides tamen hunc ex omnibus unus
contemptor superum Pentheus praesagaque ridet
verba senis tenebrasque et cladem lucis ademptae 5
obicit. ille movens albentia tempora canis
‘quam felix esses, si tu quoque luminis huius
orbus’ ait ‘fieres, ne Bacchica sacra videres.
namque dies aderit, quam non procul auguror esse,
qua novus huc veniat, proles Semeleia, Liber, 10
quem nisi templorum fueris dignatus honore,
mille lacer spargere locis et sanguine silvas
foedabis matremque tuam matrisque sorores.

eveniet; neque enim dignabere numen honore,
meque sub his tenebris nimium vidisse quereris.’ 15
talia dicentem proturbat Echione natus.
dicta fides sequitur, responsaque vatis aguntur.
Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri,
turba ruit, mixtaeque viris matresque nurusque
vulgusque proceresque ignota ad sacra feruntur. 20
‘quis furor, anguigenae, proles Mavortia, vestras
attonuit mentes?’ Pentheus ait.

Ovid, ‘Metamorphoses III’, 511–532

Source for Question 2 (d)-(e)

‘incipit huic Lycabas: “in quae miracula” dixit
“verteris?” et lati rictus et panda loquenti
naris erat, squamamque cutis durata trahebat.
at Libys obstantes dum vult obvertere remos,
in spatium resilire manus breve vidit et illas 5
iam non esse manus, iam pinnas posse vocari.
alter ad intortos cupiens dare bracchia funes
bracchia non habuit truncoque repandus in undas
corpore desiluit; falcata novissima cauda est,
qualia dimidiae sinuantur cornua lunae. 10
undique dant saltus multaque aspergine rorant
emerguntque iterum redeuntque sub aequora rursus
inque chori ludunt speciem lascivaque iactant
corpora et acceptum patulis mare naribus efflant.’

Ovid, Metamorphoses III, 673–686

BLANK PAGE

BLANK PAGE

BLANK PAGE

OCR
Oxford Cambridge and RSA

Copyright Information

OCR is committed to seeking permission to reproduce all third-party content that it uses in its assessment materials. OCR has attempted to identify and contact all copyright holders whose work is used in this paper. To avoid the issue of disclosure of answer-related information to candidates, all copyright acknowledgements are reproduced in the OCR Copyright Acknowledgements Booklet. This is produced for each series of examinations and is freely available to download from our public website (www.ocr.org.uk) after the live examination series.

If OCR has unwittingly failed to correctly acknowledge or clear any third-party content in this assessment material, OCR will be happy to correct its mistake at the earliest possible opportunity.

For queries or further information please contact the Copyright Team, First Floor, 9 Hills Road, Cambridge CB2 1GE.

OCR is part of the Cambridge Assessment Group; Cambridge Assessment is the brand name of University of Cambridge Local Examinations Syndicate (UCLES), which is itself a department of the University of Cambridge.

© OCR 2016